

sint etiam plantæ nostris pulchiores. Conformatates enim, quas utriusque recensuimus, nobis id persuadent potius, quam ut quintæ tantum essentiae eam dicamus, aut vel igneam esse, vel quid ignitum. Tametsi Olaus Magnus, sub poli Arcticæ elevatione graduum LXX tradat, ab initio Maii usque ad Augusti initium, nullam aspici stellam, (planetam credo intelligat) præter Lunam. Quæ in plenilunio vicina horizonti, eo temporis spacio videatur magnus quidam anthrax ardens, qui et stuporem et terrorem omnibus incutiat. Attamen putamus nos, cum colore tunc eam ostentare, ob vapores qui densissimi in ea terra elevantur. Neque aliter, ob eos igneum apparere, quam in eius eclipsi, sæpe numero se se ostentat aliquibus partibus ignita. Umbra namque terra, sicut ibi vapores eam quasi caligine quadam obducunt, ultra quam ignis speciem præbeat. Itaque terram eam putamus potius quam ignem, vel verius utrumque, sed aliquibus partibus terream magis, aliquibus magis igneum, aliquibus ex æquo temperatam. Sed igne, non tam, ut camera sidera puro, cum nec luce, nec colore, nec micantia, nec radiatione sit illis similis. Nec vero nubem tantum concretam, et ignitam cum Xenophane consentimus. Etiamsi quod in ea splendet, cum albis nubibus conveniat colore quidem, sed non splendore. Nam et sæpe alias, et modo cum hæc scribimus, bis iam Sole Occidente, nubes eam atra operiebat, in Oriente vero magni nubium altissimarum montes, conspiciebantur. Qua nullo modo, radiis solaribus, aut lumine, Sole iam in occasu, et nigris nubibus obducto, attingi poterant, nullum tamen splendorem vel ad nos emittebant, neque ullo in se fulgebant. Neque vidimus interdiu, ob candidas nubes, in ære pendentes, præsente Sole, lucidiorem fieri diem. At Lunæ splendor nocturnus, et lumen inde ad nos emissum, claro argumento est, Lunam non esse nebulam. Etiamsi interdiu, neque ipsa præsente Sole diem reddat candidiorem. Quod neque tanta stellarum multitudo, nec planetarum præsentia facit. At Luna, a Sole ne lumen recipit, ut Astrologi autem? Vel per seipsam cum splendorem habet qui in eius partibus conspicitur, aqueo splendori similis? A Sole eam recipere, videtur primus tradidisse Thales, et eodem tempore Pythagoras. Post quos et Parmenides, et Empedocles, et Anaxagoras, et Metrodorus. Proprio vero lucere lumine asservit Anaximander, et Antipho, et Xenophanes, et Berosus. Et si Stobæo credimus etiam Aristoteles. Profecto, qui eam ignem, vel igneum esse dixerunt, necesse habuerunt asserere, eam propria lucere luce. Ignis enim sua natura, ubicumque sit locorum, lucet semper. At qui eam igneum esse affirmarunt, ut Parmenides, Empedocles, Anaxagoras, non videntur, in suis perstissete fundamentis, quando non proprio, sed alieno dixere eam lucere lumine. Quid vero nos de proposita dicemus quæstione? Evidem certi nihil habemus, quod respondeamus. Nam in tanta lunæ a nobis distantia, non nisi (monitu aristotelico) similitudine quadam, sicuti de cæteris astris fecimus, philosophari licet. Similitudine ergo hac, non ægre dixerim, Lunam et proprio, uti igneum, lumine lucere. Alieno vero, uti et terream, simul et aqueam. Nam et terra, et maria nostra, non suo, sed Solis lumine splendescunt. Solari ergo lumine, inter astra omnia, sola Luna splendet. Cur autem Lunam, terram alteram dicamus, persuasibili non caret ratione. Nam quid mirum est, in æthere partem unam fœculentam constitisse, et crassam. In quam veluti feces ætheris omnes, Conditoris legibus, qui omnia certis numero, pondere, et mensura fabrefecit, confluxerint? Sicuti et in parte mundi hylæa, fex omnis in unam hanc nostram terram confluxit undequaque. Luna ergo, ætherea terra esto. Et terra nostra, elementalis esto Luna. Neque duæ hæ terræ, sive duæ hæ Lunæ, a Conditore frustra sunt conditæ. Similitudine enim mutua, altera alteram fovet, et sibi invicem favent, et influxus, quibus et ipsæ, et utriusque partes, tum vivant, tum conserventur, altera ab altera suscipiunt. Quandoquidem ad Lunæ motum, ac lumen, et plantæ, et animalia multa, et humores omnes, tum commoventur, tum alterantur. Quæ res ita per se est manifesta, ut nemo sanus, eam negare, aut debeat, aut queat. Quin et tota nostra maria, ad Lunæ aspectus varios, certum est, varie commoveri. Et fluxus maris et refluxus, et cæteri æstus fere, a Lunæ lumine trahuntur, et retrahuntur manifestissime. Hæc autem omnia minime fieri possunt, nisi permagna inter eam et nostratia, intercedat Sympathia. Hæc autem Sympathia, non nisi in